



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod potentia sapientia bonitas scriptura interdum ad peronas distinctè
referuntur. E. F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

quæ dicitur propter principiū creationis vel gratiæ priuilegium, & creaturæ subiectionem vel seruitutem. Cum ergo in Trinitate nihil sit creatum, vel seruiens, vel subiectum, non admisit fides in Trinitate talem locutionis modum. Ita etiam e converso non dicitur de Dei essentia, quod ipsa sit essentia Abraham, Isaac, & Iacob, vel alicuius creaturæ: ne creatoris & creaturæ naturam confundere videamur.

Quod licet potentia, sapientia, bonitas de Deo secundum substantiam dicantur in scriptura: tamen solent hæc nomina distinctè ad personas interdum referri.

Ex prædictis constat, quod sicut essentia, ita potentia, sapientia, bonitas de Deo dicuntur secundum substantiam. Quæ autem secundum substantiam de Deo dicuntur, tribus personis pariter conveniunt. Vna est ergo potentia, sapientia, bonitas patris & filii & spiritus sancti: & hi tres eadem potentia, eadem sapientia, eadem bonitas. Unde aperitur in Trinitate summa esse perfectio. Si enim ibi deesset potentia, vel sapientia, vel bonitas, non esset summum bonum. Sed quia ibi est perfecta potentia, infinita sapientia, incomprehensibilis bonitas, rectè dicitur & creditur summum bonum. Cùm quoniam & idem penitus sit in Deo potentia, sapientia, bonitas: in sacra tamè scriptura frequenter solent hæc nomina distinctè ad personas referri, ut patri potentia, filio sapientia, spir. sancto bonitas attribuat, quare fiat, non est otiosum inquirere.

Quare id fiat scilicet quod patri potentia filio sapientia attribuat. G

Id ergo sacri eloquii prudentia facere curavit, nè Dei immensitatem similitudine creaturæ metiremur. Dixerat enim scriptura sacra, quia Deus pater est, & quod Deus filius est: & audiuit hoc homo qui hominè patrè viderat, Deum patrem non viderat: